B. N. C
FIRENZE
1050
28

1050. 28

XXVII
PALM

A

67 B
XXVIII
PAL.M
1/7

Franc: D'almerii
CI
1050. 28

ORATIO

Ad multos Annos

Dicata memoriæ ac honori
Diei Natalis
Potentiſſimi, Sereniſſimique Principis,
ac DOMINI

DNI. ERNESTI AUGUSTI

Brunſuicenſ. ac Luneburgenſ. Ducis
Sacri Romani Imperii Electoris
Et
Epiſcopi Osnaburgenſis.

Domini ſui Clementiſſimi.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872
BIBLIOTHECA LAURENTIANAS

Anno M DC XCIV.

ORATIO.

QVartus decimus annus eſt accepti à Te Imperii, Princeps Potentiſſime, & Rerum geſtarum magnitudine tantus es, ut ſi in unum multorum Heroum egregia facta conferantur, pulcrum Tibi, glorioſum Illis numeroſâ Virtutum gloriâ tanti Principis ſuperari; & quemadmodum ardua quamvis, & excelsa Corpora ſublimioribus admota, inania ferè & exilia videmus, quantò propius ad magnitudinem tuam altiſſimæ illæ ſummorum Ducum Virtutes aſcenderint, tantum quoquè à Fortunæ Tuæ faſtigio deſcendiſſe videbuntur; At cum ego cœleſti verecundiæ Tuæ conſultum velim, Laudum Tuarum Magnitudinem ipſamquè Rerum Majeſtatem ad modeſtiam Tuam, moderationemque ſubmittam, ut potius animadvertam, quid aures Tuæ pati poſſint, quàm quid Virtutibus debeatur.

Credent ne Futuri, veteres illos Romanæ Reipublicæ Principes, Scipionem, Pompeiumque Magnum, qui tot Virtutum meritis feſtinatis Honoribus floruêre, Te vix ſumpto Imperio Facinorum gloriâ adæquaſſe? Nam primum Osnaburgenſis Principatus tutelam aggreſſus, qui triginta annos impleveras, ibi tàm mire ſtudia Pacis coluiſti, tantaque ſimul apud Te extitit Caſtrorum Diſciplina, ut Fatis viſum fuerit ſacrum illud Divinæ Poteſtatis Faſtigium Virtutes Tuas meruiſſe ac prope Tuum eſſet, antequam darent. Meruerat Virtus Tua Princeps Potentiſſime, Imperii gloriâ augeri, ſed Auguſtiſſimæ illius formæ dignitas, quàm obtutibus, pariter ac cordibus noſtris inſinuas, addidit Virtuti ſuffragium. Fuêre qui Naturalium Rerum momenta curio-

ſius examinando, Nobiles curas Arcanis cœleſtibus intulerunt, hinc ex ſententia ſapientium opinata eſt Majorum Religio Auguſtiſſimam Speciem plurimum de cœleſti luce trahere, & talem quidem eſſe oportere, qui æquata prope Superis Poteſtate à Gentibus adoratur, & ab alto Rerum faſtigio Generi Humano Fata decernit; Ecquis igitur non ſine cœleſti munere hoc Tibi accidiſſe fatebitur, cum ſola vultus Majeſtas Te longe, lateque Principem oſtentet? Augent quoque felicitatem tuam Majorum Imagines, totque Maximorum Cæſarum ingentia Nomina, hinc domitarum Gentium triumphales Laurus, & cumulatis Principatus Inſignibus Guelphorum Auguſtiſſimæ Stirpis Origo, hinc ſummorum Ducum affinitates, maximiſque Regibus ſociata Domus; Grande quidem hoc, ſed cum aliis commune Principibus, & non Ego is ſum, qui Principem laudo, ſed Principis Facta, & quæ non muneri Fatorum, ſed ſibi debet manſura in Eternitate Temporum, ac famâ Rerum. Non igitur in laudibus tuis Ingenia Vatum inquiram, abhorret Animus integritatem Oratoriæ Fidei fabuloſo cultu polluere, cum abſit à neceſſitate adulatio. Quis umquam expulſis Artibus uberiori indulgentiâ, & certiori ſecuritate proſpexit? quis ad levamen Amicorum tot opes exhauſit, tàm immenſa egesſit Eraria, non minus Finitimorum, quàm abſentium Negocia Re, conſilio, ac Præſentiâ juvando; ſic dum prima Imperii ſpatia ingrederis Rebus gerendis mixtus effeciſti, ut vicina ad Viſurgim Urbs Regi Potentisſimo reconciliaretur, ne controverſia in Bellum erumperet, ſic docuiſti Principes, tumentes Populos non Imperio magis, quàm Ratione compeſcere; Venetis deinde in Creta laborantibus auxilia Fraternis ſocia attuliſti, Terramque illam ſub Auſpiciis tuis intuemur, Jovis quondam Incunabulis conſecratam, æquatamque Dedaleâ mole Sideribus Barbarorum clade diu funeribus ſuis extitiſſe ſuperſtitem; Sed aliò me vocat numeroſa Principis Gloria; Vidimus Trevirorum Urbem ſub Gallico jugo laborantem, lacrymis, &

ſqual-

ſquallore obſitam ſibi Funus, ac lamentabile Fatum nunciare; hinc fœminas per ſilentium noctis per Templorum limina effuſas pasſis crinibus tendere ad Cœlum ſupplices manus, ſimulque Veſtales Virgines Statuas, & Aram comxas compellare Numina, jam perituræ Urbis imminente Fortunâ; in tanto calamitatum ambitu quis Superum urgentibus Fatis miſeræ Civitatis tam inſperatam opem attuliſſet, niſi & Tu adfuiſſes? cum verſo in Loricam paludamento una cum Sereniſsimo Principe Georgeo Guilielmo, & quod Tibi omni conſanguinitate certius eſt Virtutibus Fratre, aperto Marte, atque omni impetu Hoſtem propè Moſellam irrumpens docuiſti alios, qui per dolum, non per virtutem præliantur, magis erecto Animo, quàm Legionibus innumeris magnas Acies poſſe ſubverti, nec multitudine opus eſſe, quum ipſe pugnares, nam diſſipato toto Exercitu, captoque Crequio Duce didicere Hoſtes, quantum Gloriæ, ac Fortitudinis Geminato Numine Majeſtatis Divina virtus veſtra ad Germanum Nomen adjecerit; Tunc ad venerationem Tuam convolavêre Cives, nec ſauciatos milites aut Dolor, aut Medentium Imperium retardavit, quo minus ad conſpectum Tui conſurgerent, ut ſaltem te viſo glorioſius expirarent: Mirum quidem fuit intueri Principem Rerum Potentem poſthabitis Regni deliciis aliorum occurſare periculis, ſacrumque pectus alienæ libertati dicare, ſæpiusque Caſtrenſe Munus ſubire, ut Dux ſuis eſſet Conſilio, miles Exemplo. Prima ibi Sereniſsimo Filio Georgeo Ludovico Caſtrorum rudimenta dedit, quem poſtea in Pannoniâ militibus ſuis Ducem prefecit Virtutibus ſuis parem, omniquè verè majorem Imperio, nàm illico Neapolis arce expugnata, & exercitu ſubpetias ferente prope Strigoniam profligato, vidit tunc Oriens, quem Sanguinem per milites tuos hauſerit Campus, & futura tunc plurimarum Urbium, ac Regnorum excidia indoluit, nam & abrupta undiquè Pace annorum aliquot ope continua Victorias Venetis peperit formidatum Tui Nomen, nec

priùs illi vincere ceſſarunt quàm Brunſuicenſi milite uti, quem Tu Sereniſſimo Filio Maximiliano Guilielmo Principi comiſeras; Utinam ille Armorum felicitatem longiori ductu cumulaſſet, queis nunc plauſibus Rem Chriſtianam videremus lauribus, novoquè diademate redimitam!

Neque enim Pars ulla Terrarum, Princeps Potentiſſime, Virtutis, ac felicitatis tuæ magnitudine caruit; hinc Moguntiam Galliarum terrore, Bellorumque Fatis jactatam intueor, cùm Tu expedita manu illuc iter intendens, ita es orſus ab alto Militibus, ſtrenuiſquè Ducibus.

Vos qui Bellandi gloria humanam Sortem ſupergreſſi, toti ferè Europæ auxilia tuliſtis, ac quorum virtutis ſemper peculiare fuit non tantum augere noſtra; quàm aliena Imperia ſervare, nunc gradum ad Penates veſtros inulto Germano Nomine referetis? Vos ignavo queſtu exciperent Conjuges, ac Liberi, ſi tot Bellorum Victores apud Barbaros apud Belgas fuſo toties Hoſte, nunc Triumphi inſignibus orbatos viderent; nec altius mea, nec Majorum meorum Fortuna, neque Gloria Veſtra inclaruiſſet, niſi per altas, ac formidatas Bellorum Imagines, quod ſi Fato cedendum eſſet, nonne mors ipſa Fortium Virorum infra magnitudinem jacet? nec inglorium fuerit in Tutelam Amicorum cecidiſſe, tunc mirabuntur Virtutem Hoſtes, & invidebunt, & non ignotæ Vobis Acies, hii ſunt, quos nuper me Duce in Trevirorum Caſtris debellaſtis, Eorumque Ducem vivo monſtrandum Triumpho ad me deduxiſtis, non vos Fortuna in præſens Virtuſque deſeruit, reddet quoque hic Rhenus Gloriam, famamque Temporum Veſtro Nomine inſignitam. Et ad loquente aduch AUGUSTO, Militum ardor eminebat, & in ſuo vultu, Conſilio, ac magnanimitate cuncta ſibi proclivia putarunt, Famâ interim adventantis exercitus territi Hoſtes ne vi caperentur, ut noſtra primum fulsêre ſigna, Urbis illico Divinarum, ac Humanarum Rerum deditio; Vigebit itaque quamdiu prætium erit immortalia cognoſci hæc apud Poſteros

ſteros gloria, quod Tibi ſimul Arma traduntur & Urbes, ibitque in ſæculа Virtutem Tuam viciſſe ſuperbientem Populum, qui Triumphorum mole eo jactantiæ, atque audaciæ proceſſit, ut ſolus viſus fuerit Jura Orbis expetere; ſequuta deinde Fortunam Bonna eſt, ut non ſine Divino Numine viſus fueris poſſe ſolus tantam Bellorum molem ſubire, & nutantia Germanæ Rei Fata ſuſcipere; At Penè omiſeram Brunſuicenſium Urbem, Florentemque Rerum Dominam, ſuorumque Civium numero tot Regibus libertate inſignem Sereniſſimi Principis Cognati Rudolphi Auguſti Imperio ſine cæde ſubjeciſſe, ut dicerent omnes Divinam virtutem tuam amabili quodam terrore Majeſtatis dimicare magis quám ferro; Audi tamen Amoris noſtri Princeps Potentiſſime liberam vocem; Tu, cujus ex vita tot Populorum Fata pendent, nimium cædibus, Belliqne Caſibus obverſaris, jam ſat erit ad debellandas Hoſtium Vires, ſi tradas auſpicia, & formidatum Nomen intentes.

Exornent modo Poëtarum commenta Herculeos Labores, Anguipedum monſtrorum Bella, Lerneæquè Peſtis ſudatum Hydræ Triumphum, ſed quid Illius Geſtis Humano Generi felicitatis acceſſit? & quid enim nobis obeſſent Nemei Leonis ingentes hiatus, Stymphalidesquè aves, vel immani Corpore Serpens Heſperidum Cuſtos! Præſtabunt fidem ultima Ferarum Gentium Regna extremaque Litora, & ipſa quondam Herculeis Laudibus clara Arcadum Nemora, iisdem modo referta monſtris, per quæ olim immodicos Titulos Herculi Liberatori dicavit Antiquitas, eaque facta Divinis Honoribus aucta, Statuis, & Imaginibus dignantur, ac demum Ipſum veluti Candidatum Eternitatis ſyderibus conſecratum videmus; at ego titulis omnibus ſpecioſius reor, quod non ære, aut lapidibus maximum Nomen, ſèd monimentis æternæ Laudis inciſum ab utroque Solis adverſo fine meritis tuis prorogatur; Mihique intuenti Sapientiam tuam ea porro, quæ à Te ſapienter, ac fortiter geſta ſunt, facilius videntur Majeſtatem, ac Fortitudinem tuam

exprimere quam Metalla. Scio tamen ſæpius dediſſe famam Rebus artifices, & Romanorum Cæſarum, quorum Gloriam non Oriens, non Occidens explevit, oſtentare Potentiam ingentes Arcus, & magna ſimulacra Victoriæ; At cui Artificum Dedaleo opere inſigni facultas contigiſſet, Providentiam tuam, Divinaque Conſilia Imaginibus æmulari? dum ex hoc arduo Humanarum Rerum faſtigio videris Terras omnes, ac Maria deſpicere, ac velociſſimi ſyderis more ubique adeſſe, & undecumque velut invocatum Numen aſſiſtere. Vidimus enim florentiſſimam ad Albim Urbem, cui externa Potentia imminebat ad tutelam tuam confugere, quam niſi & Tu præſervaſſes, jam ſibi publicæ Servitutis pœnas imminere videbat Gens illa, quæ per longa intervalla Temporum in tutiſſima Libertatis arce Decus ſervavit & Imperium, & tunc quietem Circuli maximis cum Fratre ſumptibus ſubſtentaſti; At neſcio queis umquam votis, Potentiſſime Princeps, Divina Virtus tua non indulxerit, non occurſaverit Fortunæ, non Caſibus interceſſerit! Implebat Orbis oculos adverſæ ſortis ſpectaculo Sereniſſimus quidam Dux ſuo orbatus Imperio, & tunc meliore vultu reſpexêre Principem Fata, cum Tu armatus prærogativa quadam Virtutis, quâ ſoles nutanti Principum Fortunæ asſiſtere, Ipſum Principatus Gubernaculis reddidiſti admiratione maximi Tui Nominis etiam Hoſtibus inſignis. Nec Proſperitate Rerum in vanitatem uſus omnia efficis virtute maxima, oſtentatione nullâ; Fruſtra igitur Rerum altrix ambitio, quæ veſtibula, Domosque Potentum inſidet, Foribus tuis advigilat, minimè latebat Magnitudini tuæ Fortunam Principum haud inania Honorum expetere. Sed undique egregia Facinora immortalibus Factis continuata occurrunt; Neminem credo nec noſtram, neque anteactam Patrum Ætatem vidiſſe Principem tam Populorum amore ſollicitum quotidie in intima ædium vel Sacrarii ſui Parte cum Primoribus Aulæ, quibus Militaris Rei ſummam, ac Conſiliorum arcana committit, de ſtatu

Rerum

Rerum penſius cogitare, & conſultius cogitata diſponere, auſpicia Bellis gerendis dare, fœdera inire, Nuncios excipere Jura tradere, adeo ut futuris Principibus ac Poſteritati Prætium erit Sanctionibus, Suisque Legibus vivere; his itaque occupationibus diſtentus amænioribus recreari putas, cum gradum ad mutationem Laboris profers, Arctoas venatu luſtrando Sylvas, trasnare ſonoras Torrentum furias, excutere Cubilibus Feras, illasquē curſu anteire, audaces robore profligare, hæc Pyrro voluptas erat, aliisque Ducibus, quos plurima laude dotavit Antiquitas; pari ſæpè ſtudio inter devia Itinerum, ac horrentes ſilvarum receſſus delituit Achilles, ſibique inter altos Aſiæ Cineres, Regumque exuvias ludus erant Ferarum prædæ; Per Te rediêre hic ſtudia Muſarum, & per longos armorum ſtrepitus novitate concentus attonita ſtetit Arctos! at non hic conſurgerent Aurea ſæcula niſi AUGUSTUS & eſſes; Vos ſtrenuosque Duces obteſtor, quis Veſtrum Bellorum caſibus jactatus, ſenio aut vulnere inflictus, ut non ſtatim opibus, Honore, Gratia, & ſuo non honeſtetur judicio!

Auxit quoque Magnitudini tuæ Princeps Potentiſſime, præcipuum Decus Auguſtiſſima Conjux, PALATINI Principis Electoris, ac Bœmorum Regis filia, quæ ſolâ vultus ſuavitate ſexum aſſerens, verè deductum ab Heroibus genus oſtentat, & cum ego admiratione virtutum ſuarum ab ultimo ferè Italiæ receſſu, qua litus Thyrreni Maris longiſſima Terrarum ſpatia diſtinguit, ad contuendam tantæ Majeſtatis Principem obſequi Gloria properaſſem, Bona quæ auribus cæperam viſu quoque majora uſurpavi, ſed quæ comitas Auguſti Decoris gravitate permixta! mira in ſermone ſuavitas, qua ſæpe ad privatas Curas intactâ tamen Magnitudine Majeſtatis deſcendit, at mirum videretur, ſi adderem ſepius illam fortuito ſermone audiiſſe de ſummâ Cœli Ratione, Rerumque Primordiis diſſerere, eaque quo pacto ſint immortali Corpore prædita, ſemperque maneant va-

riis figuris mutata ſemina, & quo ambitu cingat Orbem, vel irrumpat Oceanus, & diverſitate Sermonum ubique natam crederes, & ipſe Ego tàm ſublimi colloquio fruens viſus ſum inſediſſe Concilio Numinum, & tunc facile novi nil aliud eſſe Sapientiam, quàm reminiſci; Nonnè igitur fateri oportet Potentiſſime Princeps hæc plurimùm publicæ, ac Privatæ felicitati tuæ tribuiſſe?

Sed alia, quæ à Te ſapienter, ac feliciter geſta ſunt, & quæ invitus de Te audis damno voluntatis præterire cogor, at Sacratiſſimi, Invictiſſimique CÆSARIS Munificentia modeſtiam tuam vicit, & ut egregia tua Facinora vigerent apud Poſteros novis titulis clara Imperii Electoratus faſtigium Genti, Nominique tuo adjunxit; Tu interim Res Imperio, famamque Cæſari auges, nam miſſo iterum in Pannoniam, Belgiumque exercitu intueris magnanimos Liberos tibi ſimiles in feſtinatione Virtutis, quod in Annis eorum primoribus ductæ jam ſint linæe, queis poterit quondam Sapientiæ, ac Fortitudinis Tuæ effigies includi. Ipſi mirati ſunt Hoſtes excelſam in Landenſi Prælio Animi Magnitudinem, ac Militaris Rei ſummam Sereniſſimi Principis Georgei Ludovici quod ſi bene Rerum momenta expendantur, propior periculo fuit Pars illa, quæ vicit; nec tua Pietas poſtquam totum Terrarum Orbem Facinorum Gloriâ impleverat plus conferre Populis tuis poterat quàm Succeſſorem optimum, nec plus Illius Divinâ Indoles quam optimum Principem, deinde Chriſtiani, Erneſtique Auguſti ex naſcentibus vix Gloriæ ſtimulis jam ſublimem virtutem, ac præcipuam cum Fortitudine ſuavitatem commendabant, qui tot ſui Ævi Principes eximiis Animi Dotibus ſupergresſi animo jam vincunt ætatem.

At plurimi fortaſsè mirabuntur, cur ego indiſertus Orator de Principe loquendi munus aſſumſerim, qui tantum ultra aliorum Principum Virtutes eminet, quantum Illorum Geſta infra Animi ſui Magnitudinem jacent, De

Te igitur Princeps Potentiſſime mihi Sermonis hujus auſpicium fuit ille felicitatis publicæ auſpex DIES, qui Te Natalibus tuis primus inauguravit Imperio, Quamobrem deprecabor ſemper Numina, ut Te Populis tuis, quorum Tutela, & ſecuritas ſaluti tuæ innixa eſt, florentem præſtent diutisſime & incolumen, omnesque Cogitationes tuas tam lætus ſequatur eventus, ut Virtutibus tantis Gloria Imperii novetur, & augeatur; Satis pudori meo conſultum arbitratus, ſi ea virtutum merita incondito, ac rudi ſtylo curſim ſignaverim, quæ adeo Humanam ſupra Sortem eminent, ut omnem Gloriam obruant eloquentiæ.

Authore Comite FRANCISCO PALMERIO, Patritio Piſano.

1050 28

MU